DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA

DE

DOMINIO,

Quam

DIVINA ASPIRANTE GRATIA

Decreto & Authoritate

Magnifici, Nobiliſſimi atque Ampliſſimi JCtorum in Illuſtri Salanâ Ordinis,

PRÆSIDE

VIRO

Nobiliſſimo, Ampliſſimo atq; Excellentiſſimo

DN. GEORG-ADAMO

Struven/ JCto & Anteceſſore hujus Academiæ longè celeberrimo, Conſil. Saxon. & Curiæ Provincial. atque Scabinatus Aſſeſſore graviſſimo, Præceptore, Promotore ac Patrono ſuo ſanctè devenerando,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PRO LICENTIA

Summos in utroq; Jure Honores ac Privilegia Doctoralia legitimè conſequendi,

Publico Eruditorum examini ſubmittit

CASPARUS ANDREAS GRIBIUS,

Halâ Saxo.

In Auditorio JCtorum

Ad diem Novembris,

Horis ante & pomeridianis.

JENÆ, Typis JOHANNIS NISII, ANNO M. DC. LXII.

REVERENDISSIMO, SERENISSIMO ATQVE CELSISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

DN. AUGVSTO,

Poſtulato ADMINISTRATORI Primatus & ArchiEpiſcopatus Magdeburgenſis, Duci Saxoniæ, Juliaci, Cliviæ ac Montium, Landgravio Thuringiæ, Marchioni Miſniæ, nec non ſuperioris & inferioris Luſatiæ, Comiti Marcæ, Ravensburgi & Barby, Dynaſtæ in Ravenſtein, &c.

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

DISPUTATIONEM HANC INAUGURALEM

Humillimâ ac devotiſſimâ animi ſubjectione dicat, conſecrat & offert

AUTOR.

S. P.

VEllem inaugurali tuæ, uti in Academiis vocamus interfuiſſe, amicisſime GRIBI, hisq; tuis honoribus gratulari coràm potuiſſe, ſi per itineris rationem, quod nunc bono cum DEO peregi; licuiſſet; Nam qui antea, cum eſſem Jenæ, ignotis etiam hominibus id officii non denegaſſem; ſcilicet Auditori & convictori meo, modeſtisſimo Juveni, mihique conjunctisſimo hac parte deeſſem. Tum verò me minimè dignum putarem eò, quo functus ſum hactenus munere in duabus Saxoniæ ſuperioris Academiis, asſiduitateque & officiis, quibus ab Nobilisſimis & honeſtis quibusque fui cultus. Feci tamen,

quamvis ex itinere meo vix pedem húc inferens, rebusque meis adhuc omnibus confuſis, disjectis, turbatis, ut diſputationem tuam legerem, de quâ ſic ſtatuo, ſcriptam eſſe erudité & gnaviter, ſicut in eâ Academiâ, quæ egregiis nunc floret ingeniis, Tibi comparem paucos, paucos anteponam. Quo ſanè nomine vehementer Academiæ cariſſimæ, quæ & juventutis olim meæ magiſtra, omniumque honorum poſtea, atque fortunarum mearum exſtitit autor, non minùs atque ſtudio jurisprudentiæ gratulor. Perge, mi GRIBI, hac via, quæ Te ad gloriam ducit certisſimo, & quæ vulgus in Academiis æſtimat, impoſterum contemne, quæq; contemnit, æſtima. Neque aliter, quos natura præſcripſit vitæ terminos, quàm virtute præferre velis. Hoc enim velle debes, & ut velis per ego Te amicitiam no-

noſtram non ſolùm moneo, ſed & rogo. De migratione noſtra hoc ſcias, me honeſtisſimorum hominnm & benevolentia & conſuetudine hic frui, ut in mentem vix venerit optare, quod ab Senatu Nobilisſimo hactenus non offeratur; dolere tamen, quod à ſtudiis noſtris paulò longiùs divellar, quàm ut ex iis, quæ pro communi utilitate non pauca habebam adfecta, perficere, ut vereor, jam liceat. Quam jacturam, utut forſan Rempubl. illa non tangat, tamen, quæ mea animi fuit propenſio erga ſolidam jurisſcientiam, fero moleſtisſimè. Solidam dico ſcientiam, cui quamdiu in Academiis & diſcendi & docendi gratiâ verſatus, religioſisſimè & ſtudiosè operatus fui. In qua plura utique ſuperſunt, & ſublimiùs tractanda, quàm cenſent, qui ex ſolis Titiorum atque Semproniorum litigiis intra

ſex.

ſex ſeptem præfecturas forſan naſcentibus, eam univerſam perverſo & ſupercilioſo judicio metiuntur. Sed hæ vigiliæ, hæ curæ nunc iis relinquendæ, qui voluntate mihi pares, doctrinâ & otio præſtant: idque facio libentisſimè. Qui publici commodi rationem & rebus & laudib9 meis ſemper prætuli. Tibi verò, ſi qui doperæ impoſterum à me præſtari poteſt, id omne polliceor, ac defero amplisſimè, Vale & Dn. D. Ockelium, cui forſan jam intermiſsô literarum commerciô excidi, nec non Dn. D. Engelbrechtum, viros honoratisſimos, meis verbis diligenter ſaluta. Brunſuigæ 18. Julii Anno 1662.

Tui ſtudioſisſimus perpetim

D. JOH. STRAUCHIUS.
JCt. Reipubl. Imperialis Brunſuigæ
Proto-Syndicus.

J. N. D. N. J. C.

OMne jus, quo utimur, vel ad perſonas pertinet, vel ad res vel ad actiones. *§. fin. J. de jur. N. G. & C. l. 1. ff. de ſtat. hom.* Jus iſtud circa res, vel eſt in re vel ad rem. *l. 11. l. 13. §. 1. l. 19. de dam infect. l. 30. de Noxal. act. l. 3. l. 25. de Oblig. & act.* Jus in re *cum Clariſs. Dn. Hahnio Diſſert. de jur. rer. concl. 33. & ad Suthol. anim. 3. & ad VVeſenb. tit. de jud. n. 4. quem ſequitur Nobiliſs. Ampliſs. atq; Excell. Dn. Præſes Patronus ac Promotor meus Summus, Syntag. Jurispr. Exerc. 3. aph. 88.* quintuplex ſtatuimus: I. Dominium. II. Servitutem. ſ. Dominium ſervitutis. *add. th. 3.* III. Pignus. IV. Jus hæreditarium. V. Jus poſſeſſionis. *l. 13. §. 1. C. de jud. l. 25. §. 18. de pet. hæredit.* De poſterioribus quatuor ſpeciebus

juris in re, fortè aliàs diſſerendi dabitur occaſio, interim hâc vice, auxiliante JEHOVA, de priori, Dominio nimirum, collationem noſtram inſtituemus. Quamobrem ut rectè rem auſpicemur, â notatione & definitione Nominis incipiemus.

THESIS I.

DOminium à domini vocabulo quidam derivant, alii à domando, plerique tamen à domo, ſecundum illud Ulpiani, Paterfam. appellatur, qui in domo dominium habet. *l. pronunciatio. 195. §. 2. de Verb. ſingnif.* quæ nominis originatio, licet veriſſima ſit, attàmen ex græco quoque vel hebræo ſermone non ineptè eam quis trahere poſſit. *vid. Forſter. Tract. pecul. de Dominio. c.* 1. *n. 1. & 2.*

II. Definitur à Dd. non uno modo, ut videre licet ex jam allegato Autore *c. 4.* Nos *cum Nobiliſſ. Ampliſſ. atq; Conſultiſſ. D. Strauchio, ICto Celeberr. Præceptore ac Patrono meo Parentis inſtar honorando. Diſſert. 6. aph. 9.* Illud definimus jus in re, quo res cujusq; propria eſt. *l. cum duobus, 52. §. 20. ff, pro Soc. l. 13. ff. de acq. rer. dom. l. 1. §. 1. ad SCtum Syll.*

III. Eſt autem Dominium vel in re corporali, vel incorporali, ſive vel eſt corporis, vel juris. De illo nempe dominio corporis, ſeu in re corporali, nemo dubitat, vocaturqve à JCtis dominium proprietatis. *l. 13. l. 57. §. fin. in fin. ff, de Uſuf. l. 17. quib. mod. uſuſf. amitt. l. 4. C. de probat. l. 5. in pr. ff. ſi uſuſf. pet. l. 16. §. 1. de uſu & hab. l. 3. de R. V.* Hoc verò nempe dominium Juris ſive in re incorpo-

corporali probatur *per l. 3. ff. ſi uſuſf. pet. l. 15. §. 8. quod vi aut clam. l. 8. de reb. aut. jud. l. 13. §. 1. l. eorum. 19. ff. de dam. infect. l. 11. §. 2. de pign. jam laudatus Dn. Strauch. d. l.*

IV. Cauſa efficiens dominii vel eſt remota, vel propinqva: Remota eſt jus tùm naturale, tùm civile, quarundam enim rerum dominium nanciſcimur jure naturali, quod appellatur jus gentium: quarundam jure civili *§. 11. Inſt. de R. D. l. 1. in pr. ff. de A. R. D.* Propinqva ſunt homines vel perſonæ dominium acquirentes, quæ vel ſunt in poteſtate, vel extra poteſtatem: *pr. Inſt. de his qui ſui vel alien.* hæ acquirunt ſibi ipſis *pr. Inſt. per quas perſ.* niſi ſint procuratores alterius *§. 5. l. eod.* Nam licet ſit regula: per extraneam perſonam nihil acquiri poſſe *d. §. 5.* excipiuntur tamen procurator, tutor, curator, qui poſſesſionem nobis acquirunt. *l. 1. C. per quas perſ.* interdum quoque dominium ſi verus dominus fuerit, qui tradidit, aliàs uſucapiendi conditionem ſi dominus non fuerit. *d. §. 5. l. 1. §. per procuratorem 20. ff. de A. P. l. traditio 20. §. fin. ff de A. R. D.*

V. Perſonæ in poteſtate conſtitutæ, vel ſunt in dominicâ vel patriâ poteſtate. *pr. Inſt. de his qui ſui.* In dominicâ ſunt ſervi, qui vi hujus poteſtatis, cui ſubſunt, nihil omninò ſuum habere poſſunt. *l. acquiruntur. 10. §. 1. ff. de A. R. D. §. item vobis 3. Inſt. per quas perſ.* ſed quicquid acquirunt, ex quacunque cauſa id fiat, non tantùm dominium, ſed etiam poſſesſionem, ut & uſucapionem & longi temporis præſcriptionem, dominis acquirunt, etiam ignorantibus & invitis, exceptâ hereditate, quam ſervus, niſi domini juſſus præcedat, adire nequit. *d. §. item vobis. & d. l. acquiruntur §. igitur. 1. l. 25. §. juſſum. ff. de acq. hered.* ne ſcilicet dominus invitus gravetur ære

 alieno.

alieno. *l. qui in aliena. 6. ff. eod.* cum hereditas propter æs alienum latens, damnoſum eſſe poſſit. *l. ſi hereditatem. 32. ff. Mandati.* Item nobis acquiritur, non ſolùm proprietas, ſed etiam poſſesſio, per illos ſervos, in quibus uſumfructum habemus, vel quos bonâ fide posſidemus, ſicut & per liberam perſonam, quæ bonâ fide nobis ſervit, non aliter tamen, quam ſi quid ex re noſtra, vel operibus ſuis conſequuntur. *§. 4. I. per quas perſ. d. l. acquiruntur. §. de his autem. 3. ff. de A.R.D.*

VI. In patriâ poteſtate ſunt filiifam. in quibus aliter ſe res habet: Illi enim propria quædam habere poſſunt, eaque ſibi acquirere, quædam non poſſunt, id quod ex variis peculii generibus dependet. Nam quicquid filiusfam. vel labore ſuo, vel alienâ liberalitate acquirit peculium appellatur. *l. 6. C. de bon. quæ lib.* Quod vel paganicum eſt, vel militare: hoc caſtrenſe vel quaſi caſtrenſe, illud profectitium vel adventitium. *§. 1. Inſt. per quas perſ.* Ratione profectitii filiusfam, quicquid acquirit, pleno jure patri acquirit. *d. l. 6.* in adventio ita conceptum, quod, proprietate penes filium remanente, uſusfructus ad patrem ſpectet. *d. §. 1. & l. 6.* Caſtrenſe verò & quaſi caſtrenſe integra ipſis queruntur, & pater in iis nihil juris habet. *d. §. 1. & l. 6.* ita ut pro lubitu de iis diſponere & teſtari ipſis licitum. *pr. J. quib. non eſt perm. fac. teſt. §. ult. Inſt. de milit. teſt. l. ult. C. de inoff. teſt.* habenturque in illis prō patribusfam. *l. 2. ff. ad SCtum Maced. l. ult. §. 1. Cod. eod.* Hæc de dominii cauſa efficiente dictà ſufficiant.

VII. Videamus porrò quarum rerum dominium acquiri poſſit. Summa rerum diviſio *inquit ICtus in l. 1. ff. de R.D.* in duos articulos deducitur: nam aliæ ſunt divini

juris,

juris, & in nullius bonis, aliæ humani, & plerumque alicujus in bonis ſunt, interdum vero non ſunt *d. l. 1. in pr.* Res divini juris ſunt vel ſimpliciter tales, ut res ſacræ & religioſæ, vel quodammodo per quandam analogiam & ſimilitudinem ut res ſanctæ *§. 10. Inſt. h. t. & d. l. 1. in pr. verb. quodammodo divini juris. Nobilisſimus D. Præſes JCtus longe celeberrimus Syntag. Juriſpr. Exerc. 3. aph. 70.*

IIX. Res ſacræ ſunt quæ ritè per Pontifices Deo conſecratæ ſunt. *§. 8. Inſt. & l. 6. §. 3. ff. de R. D.* Earum quædam ſimpliciter & directò dedicatæ ſunt ad uſum ſeu cultum divinum, ut ædes ſacræ, calices, ornamēta &c. *d. §. 8. & l. 6. §. 3.* quædam verò non. ſimpliciter ad cultum divinum, ſed pro ſuſtentatione miniſtrorum Eccleſiæ, quæ bona Eccleſiaſtica dicuntur. Et de ejusmodi rebus traditur regula: quod omnis obligatio & alienatio earundem, quocunque titulo ea fiat, de jure regulariter ſit prohibita, exceptâ causâ redemptionis captivorum, vel ſi æs alienum urgeat Eccleſiam, & aliundè perſolvi nequeat, vel denique ſi conditio Eccleſiæ inde fiat melior *d. §. 8. l ſancimus 21. l. jubemus. 14. juncta auth. hoc jus porrectum. & auth. præterea. Cod. de SS. Eccleſ. junge Nov. 7. & Nov. 120.*

IX. Res religioſæ *ſecundum Mynſigerum Com. ad §. 9. J. de R. D. & Jaſon. in l. 2. §. quædam. ff. de Interdictis.* dicuntur à relinquendo, quaſi quæ à communi uſu hominum ſunt relictæ ac remotæ: ut ſunt cœmeteria. Et differunt à ſacris, quia nemo privatus propriâ autoritate quaſi ſacrum ſibi conſtituit *d. §. 8. & l. 6. §. 3.* religioſum verò locum unusquisque voluntate ſua facit. *§. 9. Inſt. eod.* ad hoc verò ut locus fiat religioſus, requiritur, quod ibi mortuus ſit illatus & ſepultus. *d. §. 9.* cenotaphium

enim religioſum non eſt. *l. 7. ff. eod.* deinde quod ſit illatus à domino vel quaſi, in alienum namque locum, vel cujus uſumfructum alius habet, non aliter poteſt mortuus inferri, quam ſi dominus, vel uſufructuarius conſentiat. Quod ſi locus communis purus ſit, inferri non licet invito ſocio, ſecus ſi commune ſit ſepulchrum *d. §. 9.* Cum verò indiverſis locis corpus unum ſepultum ſit, ille tantum religioſus fit, in quo caput conditum eſt. *l. 44. de Rel. & ſumpt.*

X. Res ſanctæ propriè dicuntur, quæ nec ſacræ nec prophanæ ſunt. *l. 9. §. propriè. 3. ff. h. t.* Sed quæ ſanctione quadam contra injurias hominum ſunt munitæ, veluti muri, qui propterea ſancti dicuntur, quoniam violantes & tranſcendentes eos capite plectuntur. §. *10. Inſt. h.* item portæ. *d.* §. *10.* ſic leges quoque dicuntur ſanctæ *d. l. 9. §. 3.* ſicut & ſanctiones *d.* §. *10.* legati denique tam hoſtium quam amicorum ſancti dicuntur, & ſunt inviolabiles *l fin. ff. de legat.*

XI. Res humani juris aut publicæ ſunt, quæ extra patrimonium, aut privatæ, quæ in patrimonio ſingulorum ſunt. *pr. Inſt. & §. 11. h. l. 1. ff. eod.* Res publicæ ſeu extra patrimonium ſunt I. Res communes, quæ ratione proprietatis nullius ſunt, ratione verò uſus, omnium hominum, ut aer, aqua profluens, ſive maritima, ſive fluviatilis, mare & per hoc littora maris. Item lapilli, gemmæ, cæteraque quæ in littore invenimus *§. 1. Inſt. h. l. 2. l. 3. ff. eod. l. 3. §. 1. ne quid in loc. pub. l. 13. §. ult. ff. de injur.*

XII. II. Res publicæ in ſpecie ſic dictæ, quæ ratione uſus omnium ſunt hominum, ratione proprietatis nullius privati, ſed totius alicujus populi. ut flumina perennia,

ennia, portus, ripæ *§. 2. & 4. Inſt. h.* Differunt autem res publicæ hæ à communibus (1) quod harum uſus tam hominibus, quam cæteris animantibus competit, illarum verò ſolis hominibus. (2) quod jus gent. in publicis rebus certa dominia conſtituit, *d. §. riparum.* in communibus verò id factum non eſt. (3) quod communia conceduntur occupanti *§, 12. Inſt. h.* publica verò non ſic, quia jus gentium conceſſit dominium vicinis *d. §. riparum. 4. Schneidevv. com. ad* §. *2. & ſeqq. Inſt. h.*

XIII. III. Res univerſitatis, quarum uſus & proprietas eſt certæ alicujus civitatis aut collegii, nullius verò privati. ut theatra, ſtadia, porticus, balnea publica & ſimilia *§. 6. Inſt. h. & l. 6. ff. eod.* Differunt à communibus & publicis rebus, quod rerum communium & publicarum uſus omnibus populis ſeu gentibus peræq; competit, ſaltem quoad uſus certos *d.* §. *2. & ſeqq.* Univerſitatis verò rerum uſus tantum eorum eſt, qui ſub illa univerſitate ſeu congregatione ſunt: & harum rerum dominium ſemper eſt univerſorum, non ſingulorum, licet ſinguli his uti poſſint §. *6. Inſt. b. & l. 6. ff. eod. Schneidevv. ad d. §. 9. n. 2.*

XIV. Sequitur jam *in l. 1. §. 1. ff. de R. D.* alia, planè generalis, rerum diviſio, quæ omnes alias hactenus recenſitas diviſiones comprehendit, videlicet quod omnes res vel ſunt corporales, vel incorporales: Corporales dicuntur, quæ tangi poſſunt, veluti homo, fundus, veſtis, aurum, argentum *§. 1. de R. C. & J.* Incorporales verò ſunt quæ tangi non poſſunt, quales ſunt, quæ in jure conſiſtunt §. *2. Inſt. eod.* vel in facto, ut poſſesſio. *l. 1. §. 1. de A. P.* Illæ ſunt vel ſingulares, ut jura prædiorum, quæ etiam ſervitutes appellantur, vel univerſales,

ut

ut hereditas, ſumptô vocabulô hereditatis non materialiter, pro ipſis ſcilicet reb9 corporalibus, quæ per ſucceſſionē acquiruntur, ſed formaliter, nēpe pro ipſo jure ſuccedendi. *Excell. Dn. Strauch. annot. priv. ad T. J. de R, C. & J.*

XV. Occurrit denique alia rerum diviſio, vel potius rerum corporalium ſubdiviſio: in mobiles & immobiles; Incorporales namque res, cum nec mobilibus nec immobilibus propriè annumerari queant, tertium quoddam genus conſtituunt. Aliquando verò, urgente ſcilicet aliqua neceſſitate, ipſis quoque accenſentur; ita tamen, ut rebus mobilibus æqui paretur illa res incorporalis, quæ rei mobili in hæret, immobilibus quæ immobili. *Nobiliſs. D. Præſes Syntag. Jurisp. Exerc. 3. aph. 85. cum ſeqq. Jac. Schul. in add. ad M. Paſt. Q. 124. n. 18.*

XVI. Res mobiles ſunt, quæ de loco in locum moveri poſſunt; & iterum ſunt vel in ſpecie mobiles, quæ anima carent, & ab aliis moventur, veluti merces in taberna. *l. 66. de V. S.* aut ſe moventes, ut animalia viventia *l. 1. §. 1. de R. V. l. 1. in pr. de Ædil. edict. l. ſi quis donaverit. 15. in pr. Cod. de S. S. Eccleſ. l. 13. Cod. do Serv. & aq. plures tex. all. vid. ap. Forſt. Tract. de Dom. C. 7. n. 46.*

XVII. Res immobiles vel tales ſunt, vel pro talibus habentur: ſive vel ſunt naturaliter vel civiliter tales. Res naturâ, vel etiam arte immobiles, ſunt vel res ſoli, veluti fundus, prædium, ædificium. *l. 7. de Uſuf, l. 1. §. 1. Uſuf. quemad, cav. l. 1. de Cond. trit. l. 1. de R. V.* vel ſolo cohærentes ſive contentæ, veluti fructus pendentes, arbores in ſylvis, *l. 44. ff. de R. V. l. fin. §. non ſolum. & §. fructus. ff. qui in frand. cred.* item granaria. *l. 18. de act. empl.*

XIIX. Inter immobilia connumerantur res incorporales, quæ in jure conſiſtunt, ut actiones & nomina,

ſi ſci-

ſi ſcilicet ad rem immobilem competant, ſecus ſi ad mobilem. *Forſt. d. c. n. 21. Gail. 2 obſ. 1. n. 10.* item annui reditus nondum ceſſi. *Gail. 2. obſ. 10. Mynſing. 1. obſ. 69.* partes metallicæ, *Jac. Schul. add. ad M. Piſt. q. 124. n. 46.* Lecti in diverſoriis ad perpetuum uſum deſtinati. *Forſt. d. c. n. 82.* piſces quoque in piſcina, ut & aves feræque ſi generationis causâ habentur. *arg. l. 62. §. 1. de uſuf.* Molendina denique immobilium numero veniunt, quia terræ cohærent. *l. 18. de act. emt.* ſicut & πνευματικά, ſi ita facta ſunt, ut locô non moveantur. *Finck. obſ. 26. n. 13. & ſeqq.* Navibus autem impoſita, non minus atque naves mobilibus aggregantur. Atque hæc de rebus quarum dominium eſſe, vel non poſſit, dicta ſunto.

XIX. Accedamus nunc dominii formam, ſive modos ejus acquirendi: qui vel juris gentium ſunt, vel juris civilis. §. *ſingulorum. 11. Inſt. h.* §. *fin. Inſt. de uſu & hab. l. 1. de A. R. D.* Modi acquirendi rerum dominia juris gentium ſunt: Occupatio, Acceſſio, Specificatio, & Traditio. Quamvis enim *Tit. Inſt. de R. D. & ff. de A. R. D.* plures enumerentur, haud incommodè tamen ad hæc quatuor ſumma genera revocari queunt, de quibus ſingulatim in ſequentibus.

XX. Occupatio fit venatione. §. *12. cum ſeqq. I. h.* Captivitate. §. *17.* & inventione, § *18. & 39. eod.* Venatione acquirimus feras beſtias, in libertate naturali relictas, *d.* §. *12.* Earum cûm aliæ ſint agreſtes, aliæ natantes, aliæ volucres ideoque tot etiam venationis reperiuntur ſpecies: nempe venatio in ſpecie ſic dicta, piſcatio & aucupium.

XXI. Volucres omnes feræ ſunt *l. 5. §. 2. h.* apes igitur & aves reliquæ, modò non ſint incluſæ, jure natu-

tali ſtatim fiunt capientium *d.l.5.§.2.& §.14. J. eod.* ex regula, quæ habet, quod nullius eſt, id naturali ratione occupanti conceditur §. *12. J. h. l.3. ff. eod. l. 1. §. 1. de A. P.* Sciendum hîc res nullius dupliciter dici: vel quæ actu nullius ſunt, ut nec potentiâ alicujus fieri posſint, quales ſunt liber homo, res divini juris, & ſimiles §. *7. J. h.* vel quæ actu nullius ſunt, poteſtate autem alicujus fieri poſſunt: de quibus hoc loco *ſæpè laudatus D. Strauch. annot. priv. ad d. §. 7.* Examen quoque quod ex alveo tuo evolaverit, ſi deſinit eſſe in conſpectu tuo, vel difficilis ejus ſit perſecutio, fit occupantis. *d. §. apium.* Pavonum denique & columbarum fera natura eſt: licet evolare & revolare ſoleant, nec non reliquarum manſuefactarum beſtiarum, fiuntque occupantium ſi revertendi conſuetudinem deſeruerint *d. l. 5. §. pavonum. & §. 15. J. h.* Excipiuntur gallinæ & anſeres §. *16. J. h. & d. l. 5. §. gallinarum.* qui feri non ſunt, ideoque lucrandi animo ea animalia apprehendens, furtum committit *d. §. 16.* daturque adverſus eum actio furti, quantumvis pro illis minimis *arg. l. 22. ff. de damn. infect.* hæc de manſuetis & domeſticis gallinis & anſeribus intelligenda ſunt, habentur enim ejusdem generis & feri anſeres, gallinæ & anates. *d. l. 5. §. gallinarum.* quæ capientis fiunt.

XXII. Piſces ſine exceptione omnes ſunt feri, ceduntque capienti, ſive in ſuo ſive in alieno, ſive in ſtagno publico ſive privato eos quis capiat, quia in libertate naturali ſunt relicti. *l. 3. §. 14. de acq. poſſ.* niſi in piſcinis aut vivariis (Fiſchkäſten/Hältern) contineantur, hi enim à nobis poſſidentur *d. l. 3. §. 14.*

XXIII. Venatione, in ſpecie ſic dicta, acquirimus feras beſtias agreſtes, quales ſunt, quæ in ſylvis & latibu-

lis

lis ſeſe continent, ibique naturâ ſuâ degunt, ut cervi, a-
pri, urſi, lepores & ſimiles. *l. 3. §. item feras. de acq. poſſ.* nec
intereſt, utrùm in ſuo, an in alieno, fundo, etiam invitô
dominô, eas quis capiat. *§. 12. J. h.* Quia non jus fundi,
ſed apprehenſio & occupatio rem facit occupantis. Nec
prohibitio tollit naturalem libertatem ferarum, ſecun-
dùm quam nullius eſſe intelliguntur, adeoque etiam
poſt prohibitionem poſſunt fieri occupantis, non enim
prohibitio, ſed occupatio eſt modus acquirendi. *Excell.
D. Strauch. pral. priv. ad d. §. 12.* parit tamen iſta domini
prohibitio actionem injuriarum contra ingredientem
prohibitum. *l. 13. §. ult. ff. de injur.* non quod feram
cœperit, ſed quod contra domini prohibitionem fuerit
ingreſſus. Etenim nemo facit injuriam, qui capit id, quod
ante nullius eſt. *arg. l. 62. de uſuf.*

XXIV. Non autem qui vulneravit beſtiam, ut ca-
pi haud difficulter poſſit, protinus eam facit ſuam, ſed
tùm demùm fit vulnerantis, ſi omninò illam cæperit,
ſuamque in poteſtatem redegerit, quia multa accidere
poſſunt, ut beſtiam etiam lethaliter vulneratam, quis
non capiat. *§. illud quæſitum eſt. 13. h. l. naturalem 5. §. 1. ff.
eod.* Sed hodiè, moribus fera eſt vulnerantis, qui illam
perſequi poteſt, etiam in fundo & nemore vicini ſui.
Landrecht *art. 61. lib. 2. ubi dicitur:* Jagt ein Mann ein
Wild auſſer dem Forſt/und folgen ihm die Hunde in den an-
dern Forſt/er mag wohl nachfolgen / alſo daß er nicht blaſe/
noch die Hunde nachhetze/ und mißthut daran nicht / ob er
das Wild fähet/ſeinen Hunden mag er wohl wieder ruffen.
Excell. D. Strauch. D. 6. aph. 28.

XXV. Cæterùm, etſi jure naturali, quicquid ex fe-
ris caperetur, capientium fieret, & lege creationis, omnia

animalia quæ cœlô, terrâ & mari naſcuntur, occupanti concederentur, *Gen. 1. v. 28. § feræ. Inſt. h.* tamen hoc ipſum hodiè canonibus & principum conſtitutionibus fuit immutatum, atque ex inveteratâ quadam Germaniæ conſvetudine ac uſurpatione paſſim aliter obſervatur. Jure namque Canonico, liberior venandi facultas, Eccleſiaſticis perſonis, certis ſub pœnis eſt adempta, conſtitutum enim in Concilio Aurelienſi, ut Epiſcopus, venationem contra prohibitionem exercens, tribus menſibus à communione, Clericus vel Presbyter duobus menſibus ab officio, Diaconus ab omni officio ſuſpendatur *c. 1. & 2. de Cleric. venat. c. 1. diſt. 34.* alii verò inferiores Clerici judicis officio relinquuntur puniendi. *Menoch. de arb jud. quæſt. caſ. 413. n. 18.* Ubi etiam inter alia dicit, quod etſi clerici venatores, certis pœnis plectantur, capta tamen reſtituere non teneantur, quoniam ſibi acquiſiverunt, *Covar. in cap. peccatum. n. 3. de R. J. in 6.* Piſcatio tamen, utpote exercitium minus cruentum, indiſtinctè permittitur. *c. Eſau. diſt. 86.* Ratio diverſitatis eſt: quia venatio fit cum clamore, piſcatio cum ſilentio, item quia piſces non ita libidinem excitent, quemadmodum ferina. Tandem, quia Apoſtoli & Sancti fuerunt piſcatores, Eſau autem venator erat, quoniam peccator erat. *d. c. Eſau. diſt. 86. Harpr. comm. ad §. 12. & 13. h. n. 87. Forſt. tr. de Dom. cap. 9. n. 13. & 14.*

XXVI. Conſtitutione poſteà Imperatoris Friderici, in laicis quoque venatio coarctata fuit, interdicebat enim is ſubditis ſuis, ne in publicis locis aut ſaltibus, ſua retia aut laqueos, aut alia quælibet inſtrumenta, niſi ad urſos, apros, lupos aliosque noxias beſtias capiendas tenderent. *Harpr. d. l.* Tandem verò privatis ve-

natio penitus fuit adempta, ita ut nec in publicis locis, nec in privatis & propriis agris, venari, piſcari & aucupari regulariter ipſis amplius liceat. Imò contrà facientes ultimô quoque ſuppliciô, ſi delicti conditio ferat, affici queunt *Forſt. d. cap. 9. n. 61. Harpr. loc. all. n. 315.* Sed ſpectat hoc jus ad Imperatores, Reges, Principes, Comites, Nobiles, & omnem ferè Magiſtratum. Cum enim ſummi principes loca publica ſua fecerint, eorumque domini facti ſunt, *l. littora. 3. ne quid in loc. pub. l. 9. ad L. Rod. de jact. l. 4. Cod. de quadr. praſcript.* conſentaneum videtur, eos utique in iſtis locis publicis, tanquam in ſuis, jus venandi ſubditis prohibere potuiſſe. *arg. l. 3. §. item feras. de A. P.* Quisquis enim privatus ab ingreſſu ſui fundi extraneum arcere poteſt. *l. divus de Serv. prad. ruſt.* non enim deterioris, quam privati conditionis eſſe debent. *l. item veniunt. 10. §. in privatorum. ff. de pet. hered. l. 1. §. 2. Cod. de priv. fiſc.*

XXVII. Sunt & aliæ juſtæ cauſæ, propter quas illud æquum, & in commune bonum fuerit viſum, videlicet, pax publica, & interdictus privatis armorum uſus. Item ne homines privati, venationis ſtudiô, avocarentur ab operis & laboribus neceſſariis & quotidianis, ab artificiis, & agri atque vini culturâ adeoque totâ vitâ ruſticâ, à quâ agricolas & ruſticos non abduci publicè utile eſt. *auth agricultores. Cod. qua res pig. l. 2. ff. de feriis.* Denique ne per indifferentem venationis permiſſionem, ferarum ſpecies omninò depopularentur. De his, aliisque pluribus cauſis & rationibus, ob quas privatis venatio omninò fuit adempta, item an jure vel injuriâ hoc ipſum fuerit factum, videndi ſunt *Harpr. ad d. §. fe-*

ra. Weſenb. in parat. h. n. 7. Forſt. Tr. de Dom. cap. 9. Franz. Exerc. jur. 4. q. 2. n. 7. & ſeqq. p. 87.

XXIIX. Captivitate porrò acquirimus res ex hoſtium bonis captas. *§. 17. J. h. l. 5. §. fin. & l. 51. §. 1. ff. eod. l. 1. §. 1. de A. P.* non ex eâ ratione, quod ſint nullius, cum ſint hoſtium, ſed quod turbando mutuam ſocietatem, inferendo vicinis injurias, earumque reparationem recuſando deliquerint, atque per hoc indignos ſe fecerint, quorum rebus parcatur; aut etiam perſonis. *Zoes. Com. ad T. d. A. R. D. n. 16.* Bellum autem hîc intellige legitimum & juſtum, quod ſcilicet juſtâ ex causâ fuit initum, riteque indictum. Civiles namque diſſenſiones, ubi non bellum indicitur, ſed tumultu & vi res geritur, inter cives, eidem imperio ſubjectos, pro bello non habentur. *l. ſi quis ingenuam. 21. §. fin. ff. de capt. & poſtl. rev.* Nec cum latronibus & piratis jura belli ſunt communicanda. *l. 19. §. 2. ff. eod. Forſt. Tr. de dom. c. 9. n. 165.* Requiritur porrò ut res, quæ ab hoſtibus capiuntur, ſint mobiles, ac durante bello in excurſionibus direptæ. *l. 78. de capt, & poſtl. rev.* nam quæ devictis hoſtibus ſunt captæ, coguntur in fiſcum. *l. divus. 31. de jur. fiſc.* Res verò hoſtium immobiles non occupantibus acquiruntur, ſed principi, vel reipub. cujus nomine bellum geritur, cedunt, undè & publicari dicuntur. *l. 20. §. 1. ff. de capt. & poſtl. reverſ.* Agri tamen ab hoſtibus occupati, poſteà autem recuperati, jure poſtliminii priſtinis dominis reſtituuntur. *d. l. 20. §. 1.* quod non eſt in rebus mobilibus privatis, bello ab hoſtibus recuperatis, quæ ad priſtinos dominos non revertuntur, ſed ſunt in prædâ, & ſic ad milites recipientes pertinent. *l. ſi quid bello. 28. ff. eod.*

XXIX. Non autem bona duntaxat hoſtium, ſed

ſed ipſæ quoque perſonæ capientium fiunt, inquè ſervitutem eorum deducuntur. *d.* §. *item ea.* quæ tamen, ſi evaſerint, ſive vi, ſive fallaciâ, poteſtatem hoſtium, jure poſtliminii priſtinam recipiunt libertatem. *l. nihil intereſt.26.ff.eod.* Hodiè verò, inter Chriſtianos, jus captivitatis & poſtliminii ceſſat, etenim conſvetudine generali eò redactum, ut capti libertatem non amittant, ſed præſtitâ victori pecuniâ, veniam redeundi impetrent. *Forſt. d Tr. & cap. n. 165. Schneidevv. ad d.* §. *item ea. n. 2.*

XXX. Sequitur inventio, quæ fit non oculis & animô ſolô, ſed manibus & apprehenſione. *l. 1.* §. *1. l. 3.* §. *3. ff. de A. P.* Et eſt, vel rerum, quæ nunquàm alicujus fuerunt, quales ſunt: lapilli, gemmæ, conchilia & cætera quæ in littore maris inveniuntur. §. *item lapilli. 18. J. h.* vel earum quæ alicujus eſſe deſierunt, veluti theſauri. *l. un. Cod. de Theſauris. l. nunquam 31.* §. *1. ff. de A. R. D.* Eſt autem theſaurus *ſecundum Paulum in d. l. 31.* §. *1.* nihil aliud, quam vetus quædam depoſitio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat. vel eſt rei mobilis, ab ignotis dominis, tempore vetuſtiori, abſconſio. *d. l. unica.* Unde ſi quis vel lucri, vel metus, vel cuſtodiæ cauſa, pecuniam ſub terrâ condiderit, propriè non eſt theſaurus, nec fit inventoris, ſed manet deponentis. *d. l. nunquam.* §. *1. l. peregrè. 44. de A. P. l. à tutore. 67. ff. de R. V.* & ideo is, qui iſta abſtulerit, furtum committere dicitur. *d. l. nunquam* §. *1.*

XXXI. De theſauro autem ita jus eſt: ut in proprio fundo inventus totus inventori cedat. §. *theſaurus. 40. J. h.* ac perindè erit, ſive quis fortuitô caſu, ſive etiam conſultò, datâ ad hoc operâ, non tamen adhibitis artibus magicis, cum invenerit. *d. l. un.* in ſacrô quoq; & reli-

&c religioſo loco, fortè tamen fortunâ, inventus, totus ſimiliter fit inventoris. *d.* §. *40.* & *l. un.* In alienô verò repertus, ſive publicô, ſeu fiſcali Cæſaris, vel civitatis, inter dominum & inventorem dividitur. *d.* §. *40. l. 3.* §. *ult. de jur. fiſ.* niſi datâ operâ fuerit quæſitus, quo caſu inventori nihil acquiritur, ſed totus efficitur fiſci, vel domini iſtius loci. *d. l. un.* Quid ſi in fundo fructuario, emphytentico & feudali quis theſaurum inveniat? diſtingve: aut reperitur à proprietario, aut à fructuario, aut à quodam tertio: priori caſu, totus cedit domino proprietatis, poſterioribus duobus, inter proprietarium & inventorem videtur dividendus. *per l. 63.* §. *3. ff. h. t. Excell. D. Strauch. Diſſ. 6. aph. 33.*

XXXII. Secundus modus acquirendi dominium eſt Acceſſio: eaque vel naturalis, vel induſtrialis. Naturalis exempla ſunt. I. Fœtus animalium noſtrorũ, quæ enim ex animalibus, dominio tuo ſubjectis, nata ſunt, tibi acquiruntur. *l. 6. ff. h. t.* §. *29. J. eod.* hoc non ſolùm procedit in animalibus irrationalibus, ſed etiam rationalibus, ut partus ancillæ. §. *4. Inſt. de jur. perſ.* hâc tamen differentiâ, quod fœtus in fructu computetur, partus non item. Abſurdum enim videbatur, hominem in fructu eſſe: cum omnes fructus rerum natura gratiâ hominis comparaverit. Et ideò uſufructuarius in partu ancillæ nihil juris habet, ſed partus ad dominum proprietatis pertinet. §. *37. Inſt. h. t.*

XXXIII. II. Alluvio, id enim, quod flumen publicum, agro noſtro per alluvionem adjicit, jure gentium nobis acquiritur. §. *20. J. h. l. 7.* §. *1. ff. eod.* idque propter negligentiam domini ripæ adverſæ, ripam ſuam non munientis. Dixi flumen publicum; quia in publicô

ſico tantùm, non etiam privato flumine, aut lacu vel ſtagnô, alluvio agnoſcitur, nam licet hæc interdum creſcant; interdum decreſcant; ſuos tamen terminos retinent. *l. 12. ff. h. t.* neq; etiam in agris limitatis jus alluvionis locum habet, quia hi certâ menſurâ continentur. *l. 16. ff. h.* dicuntur verò agri limitati, qui ex hoſtibus capti, partim militibus, aliisve civibus pauperibus aſſignabantur; partim publico adjudicabantur: eoque limites illis adjiciebantur, ut quantum aſſignatum, & quantum in publico relictum eſſet conſtaret *d. l. 16. Harpr. ad d. §. 20. n. 7.*

XXXIV. Eſt autem alluvio incrementum latens, ſeu occultatum: quo paulatim quid ita adjicitur, ut intelligi non poſſit, quantum quoquô temporis momentô adjiciatur. *d. §. 20. & l. 7. §. 1.* vulgò dicitur Ein Zufluß oder Zuwachß. Si verò vis fluminis de tuo prædio partem aliquam detraxerit, & vicini prædio attulerit, palàm eſt, eam tuam permanere *§. 21. J. h. l. 7. §. 2. ff. eod.* Unde partem iſtam vindicare potes. dummodo caveas vicino de damno infecto. *l. 9. §. 2. de dam infecto.* Planè ſi longiore tempore fundo vicini tui hæſerit, arboresque, quas ſecum traxit, in eum fundum radices egerint, ex eo tempore videtur vicini fundo acquiſita eſſe. *d. l. 7. §. 7.* Et ſic hoc caſu ceſſabit vindicatio, imputet enim ſibi prior dominus, quod tantô temporis ſpaciô ablatam fundi ſui partem repetere neglexerit. *Mynſing. ad. d. §. 21. Harpr. ad eund. §. n. 3.*

XXXV. III. Inſula; cujus appellatione frequenter in jure noſtro veniunt, ædes ſolitariæ, quæ non ſunt conjunctæ vicinis ædibus, sed undique liberæ. Propriè dicitur locus aquâ undique circumdatus: ſeu terra aquis

circumflua, ob ſpiritum, eò loci erumpere non valentem, enata. *ſecundùm Plinium lib. 2. cap. 85.* dicta ab eò videtur, quod ſit in ſalo, hoc eſt mari, *tradente Sex. Feſt. Pomp. lib. 9. Borch. ad* §. *22. h.* Eſt autem alia naturalis, quæ ſemper fuit, ut Corſica, Creta, Sardinia & Similes: alia verò caſualis ſive accidentalis, quæ in flumine ſæpè; in mari perraro naſcitur, *de qua loquitur* §. *22. h.* Hæc ſtatim fit occupantis, ob rationem, quia nullius eſſe creditur. *d.* §. *22.* Occupare autem inſulam is cenſetur, qui quamlibet tantùm partem ejus introiverit, hâc mente & cogitatione, quod eam usque ad terminum velit poſſidere, nec opus eſt, ut ſingulas glebas circumambulet. *l. 3.* §. *1. ff. de A. P.* Verùm non quoad jurisdictionem & imperium ejusmodi inſula fit occupantis, ſed quoad dominium & proprietatem tantùm. Superioritas enim & jurisdictio inſulæ ad eum ſpectat, qui habet imperium in mari, cenſetur autem is habere, qui in continenti proximo imperium ſive provinciam habet. *arg. l. 9. ff. de jud. l. qui ex vico 30. ad municip. & l. 99.* §. *1. ff. de Verb. Sign. Dd. comm. hic.*

XXXVI. Inſula porrò in flumine, *juxta Pomponium in l. 30.* §. *2. ff. h. t.* tribus fit modis: unô, cum agrum, qui alvei non fuit, amnis circumfluit; quô modô cauſa proprietatis non mutatur, ſed ejus is ager permanet, cujus fuerat. *d. l 30.* §. *2 &* §. *22. J. h. in fin.* alterô, cum locum, qui alvei eſſet, ſiccum reliquit, & circumfluere cœpit: tertiô, cum paulatim colluendo locum eminentem ſupra alveum fecit, & eum alluendo auxit. Duobus poſterioribus modis, inſula, ſiquidem mediam partem fluminis tenet, efficitur eorum, qui ab utraque parte fluminis prope ripam prædia poſſident, non quidem

dem communis pro indiviſo, ſed pro modo latitudinis cujusque fundi. *d.* § *22.* quantum enim cujusque agri ſpacium prope ripam eſt, tantum quoque habet ſpacium in inſula, rectâ lineâ per inſulam traductâ *l. 29. ff. h. t.* cum enim inſula illa, ex ripis utrinque vicinis cenſeatur exorta, meritò ad agros proximos pertinet. *arg.* § *riparum. 4 verſu ſed proprietas. J. h. vid. Heigius. h. n. 11.* Si verò alteri ripæ proximior ſit inſula, eorum eſt tantùm, qui ab ea parte prope ripam prædia poſſident. *d.* §. *22. & l. adeò 7.* §. *inſula.* ob ſimilem rationem, quia pars ejus duntaxat fundi eſſe videtur, cui eſt proxima, & ab eo velut decerpta. *Giph. ad d.* §. *22. v. quod ſi alteri parti.* Et quamvis poſtea paulatim alluvione creverit, ut utrique ripæ eſſet æquè propinqua, ejus tamen remanet, cum incremento, cui ab initio fuit acquiſita. *l. inſula. 56. ff. h.*

XXXVII. Quandoque verò prædicta non obtinent, ſi agri ſunt limitati: quoniam in his jus alluvionis non agnoſcitur. *l. in agris. h. t.* erit ergò hujusmodi inſula occupantis. *Mynſing. ad* §. *22.* Nec porrò procedunt in eâ inſula, quæ non ipſi alveo fluminis cohæret, ſed virgultis tantùm aut quavis aliâ levi materiâ, ita ſuſtinetur in flumine, ut ſolum ejus non tangat, atque ipſa movetur. Hæc enim propemodum publica, atque ipſius fluminis eſt inſula *l. penult* §. *2. ff. h. t.*

XXXIIX. IV. Alvei mutatio; Alveus hoc loco foſſam denotat, per quam flumen delabitur. Nam capitur aliàs quoque pro loco, in quo apes mellificant, *ut in* §. *apium J h. t.* Dicitur autem eſſe juris publici, ſicut eſt ipſum flumen. §. *23. J. h. & l. adeò. 7.* §. *5 ff eod.* quamdiu ſcilicet flumini ſervit, tunc enim pars ejus cenſetur & idcircò ejusdem juris cum flumine. *Harpr. ad d.* §. *23. n. 4.*

 Si verò

Si verò flumen naturalem & conſuetum alveum in univerſum dereliquerit, adque aliam partem fluere cæperit, derelictus alveus eorum eſt, qui prope ripam ejus prædia poſſident: pro modo ſcilicet latitudinis cujusq; agri, qui prope ripam ſit. *d. §. 23. & l. adeo. 7. §. 5.* quia alveus olim pars erat agri proximi, vi fluminis occupata poſtea, quô liberata, priſtinam conditionem repetit. *Ampliſſ. D. Strauch. Diſſert. 6. aph. 43. & 44.*

XXXIX. Quod ſi poſt aliquod tempus ad priorem alveum reverſum fuerit flumen: novus alveus, non prioribus dominis redditur, quorum agros abſumpſerat, ſed rurſus eorum eſſe incipit, qui prope ripam ejus prædia poſſident *d. §. 23. & l. adeo. 7. §. 5.* ex ratione, quia mutatâ formâ, quæ dat eſſe rei, (*ex agro etenim factus eſt alveus*) ſubſtantia rei interire dicitur *l. Julianus. 9. §. ſed quis. 3. in fin. ff. ad exhib.* Verùm de rigore quidem juris, non autem de æquitate hocipſum procedere volunt *Dd. ad d. l. adeò. 7. §. 5. verb. ſed vix eſt &c. Vid. Nobiliſs. D. Præſes Syntag. Jurisp. Exerc. 41. th. 32. Excell. D. Strauch. Diſſert. 6. aph. 44.*

XL. Aliud ſanè eſt, ſi cujus ager totus inundatus fuerit, namque inundatio ſpeciem fundi non mutat: & ob id, cum receſſerit aqua, palàm eſt, ejusdem eſſe ſeu manere. cujus & fuit. *d. l. 7. §. 6. & §. 24. Inſt. eod.* Et ſic per inundationem fundi proprietas non aufertur, licet poſſeſſio per eam amittatur. *l. 3. §. 17. l. 30. §. 3. de. A. P. l. 12. §. fin. de reb. aut. jud. poſs.*

XLI. Ad naturalem hanc acceſſionem referri poſſe videtur perceptio fructuum, quâ à bonæ fidei poſſeſſore factâ, omnes omninò fructus, tam naturales quàm induſtriales acquiruntur. *§. 25. J. h. l. 48. ff. eod.* ſiquidem

quidem

quidem bona fides tantundem præſtat poſſidenti, quantum veritas domino. *l. 136. de R. J.* Et ideò, ſi poſtea dominus ſuperveniat, & fundum vindicet, de fructibus, à B.F. poſſeſſore conſumptis, agere non poteſt, *d. §. 35. & l. 48.* licet extantes repetere queat. Malæ fidei poſſeſſor nullos ſibi fructus acquirit, ſed cum fundo eos reſtituere cogitur, quamvis fuerint conſumpti. *d. §. 35. in fin.*

XLII. Induſtrialis acceſſio contingit, I. Inædificatione: de qua eſt regula generalis: Omne, quod ſolo inædificatur, ſolo cedit. *§. 29. h. l. 7. §. 10. ff. eod. l. 39. de R. V.* Et nihil refert: utrùm ædificatum immediatè ſolo cohæreat, an mediatè, veluti ſi ſupra parietem meum vicinus ædificet, eô caſu ædificatum erit meum, cum æquè ſolo cedat, ac ſi ipſum ſolum tangeret, *l. 28. h. l. 47. in fin. de dam. inf. l. 2. Cod. de R. V.* Cum igitur in ſuo ſolo aliquis ex aliena materia ædificaverit, ipſe intelligitur dominus ædificii, *d. d. text.* Nec tamen ideò is, qui materiæ dominus fuerat, deſinit dominus ejus eſſe: Sed tantiſper (*ſtante ſcilicet ædificio*) neque vindicare eam poteſt, neque ad exhibendum de ea re agere, propter Legem XII. Tabb. quâ cavetur ne quis tignum (*cujus appellatione omnis materia ſignificatur ex quâ ædificia fiunt. d. §. 29. l. 1. §. 1. de tig. junct. l. 62. de V. S.*) alienum ædibus ſuis junctum eximere cogatur. *d. §. 29.* imò licet ſit tignum furtivum *d. l. 1. de tig junct.* idque propter utilitatem publicam: ne ſcilicet ædificia diruantur, & publicus urbis aſpectus ruinis deformetur. *d. §. 29. & l. 1. ff. de tig. junct.*

XLIII. Eſt autem priſtino materiæ domino, contra eum, qui b. f. tignum alienum ædibus ſuis junxit, durante adhuc ædificio, actio de tigno juncto, ut duplum pro eo præſtetur. *§. 29. h. l. 23. § 6. de R. V.* quam actio-

nem B.F. poſſeſſor, ſi tignum eximere ſit paratus, evitare poteſt. *Vid. Ampliſs. Dn. Strauch. Diſſert. 6. aph. 45.* Quod ſi aliqua ex cauſa dirutum ſit ædificium, materia ad priſtinam cauſam revertitur, adeò ut materiæ dominus eam tunc vindicare, & ad exhibendum eâ de re agere poſsit, etiamſi poſt tempus uſucapionis diſſolutum ſit ædificium. *d. l. 23. §. fin. l. 59. de R. V. l. 7. §. 11. h. & d. § 29 J. eod.* niſi jam duplum ſit conſecutus *dd. text.* Adverſus autem malâ fide ædificantem, cohærente materiâ, datur non ſolùm actio de tigno juncto in duplum, quæ actio ratione m. f. poſſeſſoris eſt merè pœnalis, ſed etiam ad exhibendum, & rei vindicatio, ad hunc effectum, ut tignum æſtimetur quaſi dolo posſidere deſiit. *l. 1. §. fin de tig. junct. & l. 23. §. fin. de R. V.* quamvis jam antea materiæ dominus duplum fuerit conſecutus. *l. 2. ff. de tigno juncto.*

XLIV. Ex diverſo, ſi quis in alieno ſolo, ex ſua materia ædificaverit, illius fit ædificium, cujus & ſolum eſt. *l. 7. §. 22. l. 28. h. t. §. 30. Inſt. eod. l. 16. Cod. de R. V.* Is verò qui ædificavit ſi in poſſesſione ædificii eſt conſtitutus, & dominus ſoli petat ædificium, pretium verò materiæ & mercedes fabrorum ſolvere recuſet, poterit per exceptionem doli mali repelli: utique ſi bonæ fidei poſſeſſor fuerit, qui ædificavit. Nam ſcienti alienum ſolum eſſe poteſt objici culpa, quod ædificaverit temerè in eo ſolo, quod intelligebat eſſe alienum *d. §. 30. & l. 7. §. 12. h.* ex æquitate tamen, & ſcienti alienum ſolum eſſe, conceditur, ut ſine diſpendio domini areæ tollat ædificium, quod poſuit. *l. 37. de R. V. l. 5. Cod. eod.* Si verò ædificator non ſit in poſſesſione, ſive bonâ ſive malâ fide ædificaverit, extante ædificiò, nullum habet remedium, nullam actionem, quâ precium materiæ, vel impenſas in ædificando

cando factas conſequatur. *l. 33. ff. de Cond. in deb.* Diſſolutó veró forte ædifició ejus materia ad priſtinum dominum redit, ita ut B. F. ædificator eam tunc vindicare poſſit *l. 2. Cod. de R. V.* At ſciens alienum ſolum eſſe, ſuâ voluntate amiſiſſe proprietatem materiæ, eamque alienaſſe intelligitur: & ſic ſtrictâ juris ratione eam vindicare nequit. *d. §. 30. & l. 7. §. 12. h.* ex æquitate tamen poteſt, ſi non donandi animo ædificium alieno ſolo ſit impoſitum *d. l. 12. Cod. de rei vind.*

XLV. II. Intexturâ; veluti, ſi quis alienam purpuram veſtimento ſuo intexuerit: Cum enim acceſſionis vicem habeat, veſtimento tanquam principali cedat neceſſe eſt, quamvis ipſa forte totó ſit precioſior *§. 26. J. h.* nihil enim refert, quanti ſit acceſſio, ſive plus in ea ſit, quàm in ipſa re cui accedat, an minus *l. 34. de contrah. empt.* dicitur autem principale, cujus eſt major ſpecies, & cujus rei ornandæ causâ res altera adhibetur. *l. 19. §. 13. ff. de aur. & arg. leg.* veluti ſi aurum margaritarum aut gemmarum causâ ſit adhibitum, ut nimirum eò commodiùs geri posſit, aurum margaritis gemmisque cedit: Sin veró gemmæ auro ornandi causâ adhibitæ ſunt gemmæ auro cedunt *d. §. perveniamus 13. cum ſeqq. & l. ſeq.* & ſic quoque in alienâ purpurâ, veſtimento alicujus intexta, animus intexentis conſiderandus eſt. *Schneidevv. ad d. §. 26. n. 2.* Poteſt autem hæc acceſſio fieri, vel bonâ vel malâ fide: utróque caſu prior dominus amittit dominum purpuræ, *per d. §. 26. ibi, & qui dominus fuit.* ex æquitate tamen, ne eſſet in damno, ipſi ſuccurritur. Et hinc competit ei contra B. F. intexentem actio in factum *l. 23. § 5. de R. V. Excell. Dn. Præſes ſæpius allig. Syntag. Exerc. 41. th. 41.* Si veró intexens ſit in mala fide: datur

priori

priori domino, adverſus eum qui ſurripuit, actio furti, & condictio furtiva, ſive ipſe ſit, qui veſtimentum fecit, ſive alius. *de §. 26.* Extinctæ namq; res, licet vindicari non poſſint, condici tamen à furibus & quibusque aliis *M. F.* poſſeſſoribus poſſunt *d. §. 26. in fin.* Verùm quamvis, uti jam dictum, ejusmodi res directò vindicari nequeant, cum habeantur pro extinctis, rei autem extinctæ non ſit vindicatio, quia ejus non eſt dominium: ad exhibendum tamen agi poteſt, ut ſeparetur, quô factô, cum dominium quaſi revixerit, vindicari poteſt. *l. 23. §. 5. ff. de R. V.*

XLVI. Cæterùm ut intelligamus, quô caſu res aliena, quæ acceſſit meæ, per actionem ad exhibendum ſeparari poſſit, & quô non poſſit, de ferruminatione & adplumbatura (*quorum modorum mentio fit in d. l. 23. §. 5.*) quædam inſerere, operæ precium eſſe ſtatuo. Eſt autem ferruminatio, ſive ferrumen, (Anlötung) quâ diverſorum dominorum metalla ejusdem generis, formata vel non formata, ſine interventu ullius alterius materiæ, conſolidantur: veluti ſi ferrum unum candens, cum alio ferro candente contundatur, vel ſtatuæ æreæ brachium æreum, interveniente materiâ æreâ, jungatur. Adplumbatura (Anſchweiſſung oder Verbleyung) eſt, quâ duæ res ejusdem generis vel etiam diverſi per diſſimilem aliquam materiam, aut non per ſe invicem, ſed per quoddam interveniens coagmentantur & conjunguntur: ut ſi ſtatuæ meæ ex alienâ materiâ pes vel brachium adjiciatur, it. ſi vaſi figulino anſa & operculum argenteum jungatur. Ad hoc nunc, ut ad exhibendum actio locum habeat, intereſt, an ferruminatione, an adplumbaturâ quid junctum ſit; ſi per ferruminationem, nec ne ſeparata

rata quidem vindicari poteſt : Secus ſi per adplumbaturam : Tunc, quamdiu cohæret, itidem vindicari nequit, ſed ad exhibendum agi & ſeparata vindicari poteſt, *d. l. 23. §. 1. Nobiliſs. D. Præſes Syntag. jurisp. Exerc. 41. aph. 44.*

XLVII. III. Implantatione; de qua itidem eſt regula, quod planta acquiratur ei in cujus ſolo eſt poſita, ſuperficies enim cedit ſolo, tanquam acceſſio principali, non aliter tamen, quam ſi cum terrâ coaluerit & radices egerit, ante enim quam radices egerit, illius permanet, cujus & fuit. §. *31. Inſt. h. & l. 7.* §. *13. ff. eod. l. 9. §. 2. de dam inf.* Hinc ſi vicini arbor ita terram meam preſſerit, ut in meum fundum radices ſolùm egerit, ita ut non aliunde alatur, nec alibi conſiſtere videatur, mihi jure ſoli acquiritur, *d.* §. *31.* in cõfinio autem poſita arbor, ſi radices ex parte in vicini fundum mittit, fit communis, pro regione cujusque prædii. *d. §. 31. & l. 7. §. 13. cum l. ſeq.*

XLIIX. IV. Satione; nam quâ ratione plantæ, quæ terrâ coaleſcunt, ſolo cedunt, eadem ratione frumenta quoque, quæ ſata ſunt ſolo cedere intelliguntur. §. *32. J. h. & l. 9. pr. ff. eod.* quia omnis fructus non jure ſeminis, ſed jure ſoli percipitur: & in percipiendis fructibus magis corporis jus, ex quo percipiuntur, quam ſeminis, ex quo oriuntur aſpicitur. Et ideò nemo unquam dubitavit, quin, ſi in meo fundo frumentũ tuum ſeverim, ſegetes, & quod ex meſſibus collectum fuerit, meũ fieret *l. 25. pr. & §. 1. ff. de uſur.* Cæterum ſicut is, qui in alieno ſolo ædificavit: ſi ab eo dominus petat ædificiũ, defendi poteſt per exceptionem doli mali : ita ejuſdem exceptiones auxiliô tutus eſſe poteſt is, qui alienum fun-

dum ſuâ impenſâ conſevit, *d. §. 32. & l. in pr.* utique ſi bonâ fide poſſidens hoc fecerit. *l. 11. C. de R. V.* Si verò malâ fidequis fundum alienum excoluerit, ne poſſidens quidem, vel per retentionem quicquam ſervari poteſt, *d. l. 11. C. de R. V. l. 14. de donat.*

XLIX. V. Scripturâ; quæ ſimiliter cedit chartæ, etiam hodiè, nam literæ *inquit Juſtinianus §. 33. h.* licèt aureæ ſint, perinde chartis membranisve cedunt, ac ſolo cedere ſolent ea, quæ inædificantur aut inſeruntur. Unde ſi in chartis membranisvè alterius carmen, vel hiſtoriam, vel orationem quis ſcripſerit: hujus operis non ſcriptor intelligitur dominus, ſed is, cujus ſunt chartæ membranæve. Sed ſi dominus chartæ petat ſuos libros, ſuasve membranas, nec impenſas ſcripturæ ſolvere paratus ſit: poterit ſe ſcriptor defendere per exceptionem doli mali: utiq; ſi earum chartarum membranarumve poſſeſſionem bonâ fide nactus fuerit. *d. §. 33. & l. 9. §. 1. ff. eod.*

L. VI. Picturâ; in quâ idem juris poni vult naturalis ratio, ut nimirum cedat tabulæ, tanquam adjunctum ſubjecto, *cum juxta Paulum in l. 23. §. 3. d. R. V.* neceſſe ſit, ei rei cedi, quod ſine illâ eſſe non poſſit. Ob ſingulare tamen artis privilegium pictura tabulam ad ſe trahit. *§. 34. J. h. & l. 9. §. 2. ff. eod.* Unde ex ſententia Juſtiniani & Caji in alleg. text. competit ei qui pinxit, adverſus dominum tabulæ, ſi poſſeſſionem amiſit, directa vindicatio, ita tamen, ut pretium tabulæ exſolvat, alioquin ipſi nocebit doli mali exceptio. Domino verò tabulæ, adverſus pictorem, ſi adhuc tabulam poſſideat, utilis rei vindicatio conceditur, tabulamq; conſequitur, ſi pretiū picturæ ſolvere paratus ſit, aliàs ab eo, qui bonâ

fide

fide pinxit, exceptione removebitur. *dd. text.* Niſi pictor, pretium tabulæ contra offerens, imaginem retinere malit, is enim priori domino meritò præferendus eſt, cum juris autoritate jam verus dominus factus ſit. *Schneidew. per alleg. Dd. ad d. §. 38. n. 4.* ſi verò quis malâ fide pinxerit, tunc domino tabulæ contra hunc furti actio competit. *d. §. 34.*

LI. Tertius acquirendi modus eſt ſpecificatio, quando quis ex aliena materiâ, aut partim ex ſuâ, partim ex alienâ materiâ, novam ſpeciem, aut novum opus, ſuo nomine conficit. *§. 25. J. h. l. 7. §. 7. ff. eod.* Hujus acquiſitionis duæ ſunt partes: una cum quis ex aliena materia novam ſpeciem facit; veluti ſi quis ex alienis uvis, vel olivis, vinum aut oleum fecerit, aut ex alieno auro, vel argento, vas aliquod aureum vel argenteum fecerit; Altera cum quis partim ex ſuâ materiâ, partim ex alienâ novam ſpeciem, vel novum opus conficit; In primâ parte ſic diſtinguendum: aut poteſt reduci ad priſtinam materiã; aut res non poteſt: nam vas conflatum ad rudem auri vel argenti materiam poteſt reduci, vinum autem, vel oleum, ad uvas, vel olivas reverti non poteſt. Priori caſu, cum materia adhuc prævaleat formæ artificiali additæ, is videtur dominus ſpeciei effectæ, qui dominus materiæ fuerit. Poſteriori verò caſu, quo forma iſta artificialis prævalet materiæ, is potiùs dominꝰ intelligitur, qui novum opus produxit. *dd. text.* niſi voluntate domini nomine alteriùs id factum ſit, propter conſenſum enim domini, indiſtinctè res ejus fit, cujus nomine facta eſt. *l. 25. h.* Notandum denique, frumentum ex alienis ſpicis excuſſum, lic et ad ſpicas ſuas reduci nequeat, tamen quia novam ſpeciem, qui ſpicas excuſſit

 non

non videatur feciſſe, ſed eam tantùm, quæ jam fuerit detexiſſe, excutientis non fieri, ſed ejus manere, cujus & ſpicæ fuerunt *d. l. 7. §. 7. circ. fin. vid. Nobiliſs. Dn. Præſes ſæpius alleg. Syntag. Exerc. 41. aph. 37.*

LII. Hæc de prima parte noſtræ acquiſitionis: pergendum nunc ad alteram, quâ quis partim ex ſua, partim ex alienâ materiâ novam ſpeciem producit: ut ſi quis ex ſuo vino, & alieno melle mulſum miſcuerit, aut ex ſuâ lanâ, & alienâ veſtimentum fecerit; quo caſu dubitandum non eſt, eum eſſe dominum operis, qui iſtud fecerit, ex ratione, quia non ſolùm operam ſuam dederit, ſed etiam ejuſdem materiæ partem præſtiterit: *d. §. 25. in fin.* Eſt tamen ſuperior diſtinctio & hic adhibenda, ut videlicet tunc demum ſpecificans dominus evadat, ſi res ad priorem materiam reduci nequeat, alioquin ſuum quilibet retinebit, & pro parte vindicare poterit. *l. 5. §. 1. de R. V. l. lacus 12. §. 1. l. in omnibus. 24. l. quidquid 27. §. ult. ff. h. t.* quippe generalis definitio eſt, ea, quæ in ſua initia redigi poſſunt, vires materiæ nunquam effugere. *l. quæſitum. 28. §. 4. de leg. 3. vid. Vinn. in d §. 25. verſ quod ſi.*

LIII. Cæterùm, ne aut dominus materiæ, aut is, qui novam ſpeciem de alienâ materiâ, bonâ fide fecit, quæri poſſit, utrique conſultum eſt, datur enim illi contra ſpecificantem actio infactum ad conſequendam materiæ ſuæ æſtimationem, huic verò exceptio doli mali ſeu retentio ſpeciei, uſque dum pretium operæ vindicans dederit. *arg. l. in rem. 23. § ſi id quod. 4. & ſeq. de rei vind.*

LIV. Ad ſpecificationem pertinet, I. Confuſio: quando duorum dominorum materiæ liquidæ, aut liquefactæ invicem miſcentur, inque unum corpus confun-

funduntur, ut ſeparari nequeant. Nam confundi propriè res dicuntur, quæ ita permiſcentur, ut una ingrediatur alteram, & viciſſim alterius partem in ſe recipiat; e. g. quando vinum cum vino miſcetur, aurum cum auro, quô caſu corpus, ex tali confuſione ortum, utrique domino eſt commune, pro ratâ ſcilic. ejus materiæ, quæ cujusque ante confuſionem fuit. *l.3. §. ult. de R.V.* ac perinde erit ſive voluntate dominorum, ſive caſu fortuitô confuſio facta ſit, nam quod caſu factum eſt, nemo jure ſpecificationis ſibi vindicare poteſt. §. *ſi duorum 27. J.h. & l. adeò. 7. § 8, & 9. §. ff. eod.* Nec porrò refert, ejuſdem generis materiæ ſint, an diverſæ, & ob id propria ſpecies facta ſit, veluti, ex vino & melle confuſo, mulſum; vel ex auro & argento conflato electrum (*quod Plinio lib. 33. nat. hiſt. c. 4 eſt aurum, cujus quinta portio argentum eſt*) *dd. text.* Ad hoc verò ut corpus, quod ex confuſione, citra tamen dominorum voluntatem, fit, ſit commune, requiritur: ut materiæ confuſæ nullo modo ſeparari queant, ut puta ſi æs & aurum mixtum fuerit, quod olim deduci non poterat *l.5. §.1. ſed ſi. d. R.V.* nam ſi iterum ſe cerni, & cuilibet domino illa ipſa materia, quæ ejus ante fuit, reſtitui poteſt, veluti ſi plumbum cum argento meo confuſum ſit, corpus non fit commune, ſed quisquis ſuæ materiæ dominus manet, eamque vindicare poteſt *d. l.5. §. 1. & l. 12. §. 1. h.* Poſtquam quam autem Chryſulca (Scheidwaſſer) aqua acerrima inventa, cujus vi artifices hodie quodlibet metallum confuſum ſejungere poſſunt, nullæ amplius in ejuſmodi materiis confuſis, niſi conſentientibus dominis, oritur communio. *Ampliſs. Dn. Præſes d. Exercit. aph 42.*

LV. II. Commixtio, quando res aridæ ita commiſcen-

miſcentur, ut ſingula corpora in ſua ſubſtantia durent, nec novam ſpeciem conſtituant, v.g. ſi frumentum cum frumento, pecora cum pecoribus invicem commiſceantur: quô caſu intereſt, num voluntate utriusque, an neutrius, ſed caſu fortuito, an alterutrius tantùm miſcentis conſenſu commixtio fuerit facta: & ſiquidem ex voluntate dominorum frumentum fuerit miſtum, fit commune, quia ſingula grana, quæ cujusque propria fuerunt ex conſenſu eorum communicata ſunt. Quod ſi abſcedere à communione voluerint, poterunt rem ſuam nanciſci communi dividundo actione, atque etiam rei vindicatione, ſi videlicet ab alterutro dominorum frumentum retineatur. Si verò caſu, vel alterutrius tantùm voluntate factum fuerit, non videtur eſſe commune, quia ſingula corpora in ſuâ ſubſtantiâ durant. Sed ſi totum corpus, vel totus frumenti acervus ex commixtione factus, ab uno dominorum retineatur, in rem quidem actio pro modo frumenti cujusq; competit, arbitrio autem judicis continetur, ut non ſolùm quantitatis, ſed etiam qualitatis rationem habeat, ſcil. ut ipſe æſtimet, quale cujusque frumentum fuerit, adeò, ut ſi unius fuerit precioſius, judex ei plus ex acervo frumenti, vel ratione bonitatis aliquam pecuniæ ſummam adjudicet. §. *28 Inſt. h. l. pr. de R. V. circa f. l. 4. in fin. eod.*

LVI. Ultimus acquirendi modus eſt Traditio: nihil enim tam conveniens eſt naturali æquitati, quam voluntatem, domini volentis rem ſuam in alium transferre, ratam haberi *§. 40. Inſt. h. t.* definitur quod ſit poſſeſſionis translatio. *arg. l. 3. ff. de act. empt.* & quidem rei corporalis. Incorporales enim res, quia intellectu percipiuntur, propriè, non poſſidentur *l, 4. §. ſi vitam 27. ff. de*

ff. de uſucap. ideò earum duntaxat dicitur eſſe quaſi tradi tio, quæ conſiſtit in patiendo, ut alter jure aliquo utatur, *Ampliſs. D Strauch. annot. priv. ad. d. §. 40.* Ut ergo per traditionem transferatur dominium, requiritur. I. ut fiat à Domino, alienandi poteſtatem habente, *pr. Inſt. quib. alien. lic.* quia nemo plus juris ad alium transferre poteſt, quam ipſe habet, *l. 54 de R. J.* Nec intereſt, utrum ipſe dominus rem tradat, an voluntate ejus alius. *§. 42. Inſt. h.* veluti procurator, ſpeciale mandatum, vel liberam univerſorum bonorum adminiſtrationem habens. *§. 43. h. l. 9. §. 4 ff. ead. l. 17. ff. de jurejur.* Creditor ratione pignoris, cum eâ lege illud acceperit, ut pro re nata, vendere poſſit *l. 46. h. §. 1. J. quib. alien. lic.* Tutor & curator *l. 16. l. 22. Cod. de adm. tut. Inſt. quib. alien. lic.*

LVII. II. Requiritur cauſa ſeu titulus (*ſaltem opinione tradentis juſtus. vid trt. tot. de conduct. ind.*) ad transferendum dominium habilis, qualis eſt venditionis, dotis, donationis, &c. *d. §. 40. l. 31. & 36. ff. eod.* nunquam enim nuda traditio transfert dominium, ſed ita; ſi venditio, aut aliqua juſta cauſa præceſſerit, propter quam traditio ſequeretur, *l. ſi rem tradi. 28. de Verb. obl. l. 31. h. t. l. traditionibus Cod. de Pact. l. nuda. de donation.* Et hoc præcipuum habet traditio præ reliquis acquirendi modis juris gentium, quod in reliquis titulus ſeu cauſa & modus acquirendi ſint unum & idem, in traditione verò hæc duo ſemper ſint diſtincta modus acquirendi, qui eſt ipſa traditio, & cauſa ſeu titulus, qui poſſeſſionem cujusque tuetur ac juſtificat. *p. l. nullo. 24. & l. ult. Cod. de R. V. l. 3. §. genera. 2. ff. de Acquir. Poſſ. Nobiliſs. D. Strauch. d. l.*

LIIX.

LIIX Non ſufficit autem ad dominium per traditionem acquirendum, quod cauſa ſeu titulus in theſi ſit habilis dominio transferendo, ſed requiritur III. Voluntas domini volentis rem ſuam in alium transferre, quæ voluntas *(1.)* inde perſpicitur, ſi tradens ſciat rem eſſe ſuam. Quod ſi n. putet opinionis errore rem ſuam non eſſe, tradendo dominiũ non transfert. *l.3. §. 8. ff. de condict. cauſ. dat.* Ratio, quia nemo errans dominium amittit *l.35. ff. h.* *(2.)* apparet voluntas transferentis, ſi poſſeſſionem vacuam tradat, quæ hoc loco ſecundùm quid vacua intelligi debet, quatenus nempe nullus alius rei veram poſſeſſionem habet, quantumvis habeat jus detinendi, & in certis caſibus diſtrahendi rem, quales ſunt creditores vel ex primo decreto magiſtratus in bon. poſſ. miſſi. vel alia ratione pignus adepti. *vid Excell. D. Strauch. D. Diſſ. aph.37.*

LIX IV. Requiritur voluntas & conſenſus accipientis. *l.55. de obligat. & Act.* invito enim non acquiritur *l. 69. de R. J.* ac perinde erit ſive ipſe accipiat, ſive ejus procurator, vel etiam illi, quos in poteſtate habet. *vid. §. 3. 4. 5. Inſt. per quas perſ. l.24. de A. vel A. P.* Notandnm hic, in emptione venditione hoc ſingulare eſſe, quod venditæ res & traditæ non aliter emptori acquirantur, quam ſi is venditori pretium ſolverit, vel aliô modô ſatisfecerit, fidejuſſore nimirum vel pignore interim dato, *l. ſi rem. 9. §. omnis de pig. act.* aut is qui vendidit fidem emptoris fuerit ſecutus *§. 41. h. l.5. §. penult. de trib. act. l.19. l.53. de contrah. empt.* Venditorem verò fidem de precio dupliciter habere volunt Dd. (1.) ſi terminum ſtatuat ſolutioni. (2.) ſi rem ſimpliciter tradat emptori. *Schneidew. ad d. §. 41. n.5.* Quod poſterius meritò quibuſ-

buſdam diſplicet, *de quô vid. Excell. D. Strauchius d. Diſſert. th. 36. cir. fin. Ludw. ad eund.* §. *n. 2.* Hujus rei effectus is eſt, ut emptor interim rem bonâ fide acceptam non poſſit uſucapere, venditor verò eam posſit vindicare, & ſi debitor non ſit ſolvendo, venditor aliis creditoribus in re vendita præferatur. *l. 24. de reb. aut. jur. poſs. Nobiliſs. D. Strauch. ann. priv. ad d. §. 40.*

LX. Dividunt porrò traditionem in veram & quaſi ſine fictam: Vera eſt, cum ipſo actu res traditur & apprehenditur, ſi mobilis, de manu in manum, ſin immobilis, inducendo in poſſesſionem ædium, aut permittendo, ut per ſe rem quis capiat. *l. 5. l. 34. & A. P. l. 2. C. eod.* de quâ traditionis ſpecie ſupra latiùs fuit dictum. Ficta ſeu imaginaria traditio fit per fictionem brevis aut longæ manus §. *44. J. h.* vel per ſymbolum aliquod, *§. ſeq.* Ad fictam ejuſmodi traditionem refert Imperator etiam misſilium projectionem §. *46. l. 9.* §. *7. ff. eod.* & rerum noſtrarum abjectionem, quando pro derelictis à nobis habentur, & occupanti conceduntur *l. 5.* §. *1. l. 1. l. 2. pro derelicto. §. 46. J. h.* Pro derelicto autem habetur, quod dominus eâ mente abjecerit, ut id in numero rerum ſuarum eſſe nolit: ideoque ſtatim dominus ejus eſſe deſinit, *dd. text.* exceptis tamen caſibus *in* § *fin. h.*

LXI. His ita expoſitis, reliqvum eſt ad extremum ut videamus dominii finem & effectus, finis, quod dominia fuerint diſtincta, eſt, ut conſtitutá rerum proprietate, ſcaturigines litium & contentionum obſtruantur, nam eorum incertitudo & rerum communio parit diſcordias, *l. cum pater. 77.* §. *dulcisſimis. 20. de Leg. 2.* Deinde, ut quod ſuo quisque jure posſidet, id tutò quoque & ſecurè posſidere, eôque pro arbitrio uti frui posſit *We-*

ſemb. in parat. de A. R. D. num. 11. quæ dominorum diſtinctio, etiam conſentanea eſt ſacris literis, & rectæ rationi, quâ de re *vid. Forſt. Tr. all. c. 10.*

LXII. Effectus dominiorum apud Dd. (*inter quos vid. Forſt. d. T. c. 11.*) varii leguntur, eorum tamen præcipui ſunt hi: primus eſt, quod dominus re ſuâ liberè poſſit uti vendendo, vel quocunque modo alienando, nam ſuæ quidem rei quisque moderator & arbiter. *l. in re. 21. C. mandati. l. 2. de his qui ſunt ſui.* Secundus eſt, quod, amiſsâ poſſesſione, detur domino rei vindicatio, adverſus quoslibet poſſeſſores, ad res recuperandas, in rem enim actio competit ei, qui aut jure gent. aut jure civ. dominium acquiſivit. *l. in rem 23. de R. V. Weſemb. d. l. n. 12.*

Et hæc ſunt, BENEVOLE LECTOR, quæ ſecundùm paginarum, quibus me includere volui, anguſtiam, de prolixâ & nobili hâc materiâ, pro ingenii mei tenuitate, dicenda conſtitueram, eaque propter pedem hic figo, gratiis devotisſimè actis DEO T.O.M. cui ſoli ſit LAUS HONOR & GLORIA, ſeculis nunquam terminantibus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.